

Vita Sancte Wenefrede

(Robert of Shrewsbury, Trinity O.4.42 version)

edited by David Callander

Edited Text

Translation

Manuscript

References

Introduction

Cambridge, Trinity College O.4.42 contains a shortened version of Robert of Shrewsbury's Life of Winefride (for a broader introduction to this, see VS Wenefrede (Laud): Introduction). While the Bollandist edition (ActaS Nov I: 708–31) printed only variants from Trinity, here we present an edition of the whole text, so that it can be studied as an artistic product in itself. Cambridge, Trinity College O.4.42 is an early thirteenth-century Latin manuscript containing a mixture of religious texts, including saints' Lives. It was most probably produced at the Cistercian abbey of Dore in Herefordshire (Ker 1964: 58).

While remaining a substantial Life, it is clear that the text here has undergone major redaction in comparison with Laud. The Prologue and the story of the Translation of Winefride's relics are wholly omitted. Yet the key events of Winefride's martyrdom and the emergence of her well are cut much less severely than the later stages of her Life and posthumous miracles (chapters 17 and 19–28 are left out entirely). In this version of the Life, the focus is thus more on Winefride as a virgin martyr, rather than her later role as leader of a convent of nuns and the events following her death. This is curious, as the manuscript also contains the Life and Passion of St Julian and his wife Basilissa (55v–65r). Basilissa was a virgin (she and Julian maintained chastity in marriage), but significantly was also leader of a group of virgins, and the descriptions of her as such are retained in Trinity. Thus the changes in the Life of Winefride do not appear to be part of a general lack of interest in abbesses in the codex, and may reflect the interests of an earlier redactor

VITAE SANCTORUM CAMBRIAE

rather than those responsible for producing the extant manuscript. In addition to re-emphasizing the Life's content, there are also many stylistic changes, with Robert's frequent doubling repetition often being removed; *meis laboribus et exercitiis* 'to my labours and my exertions' for example becomes just *laboribus meis* 'to my labours' (§6). Sometimes the reduction of Robert's Life leads to a loss of grammaticality. In particular, there are a number of sentences without main verbs (§§1, 2).

The exemplar appears to have been very similar to Laud, but not identical. Although the readings in Laud are generally superior, Trinity contains a number of better or legitimate variant readings. While some of these could easily be corrections by the Trinity scribe, certain readings in Trinity appear more likely to be original than Laud. The description of Beuno discovering the chasuble sent by Winefride (§10) in Trinity avoids the awkward repetition of Laud, which was probably a result of dittography: *a beata uirgine illud sibi transmissum, angelorumque ministerio per equoreos sinus illese sibi delatum* 'that it had been sent by the holy virgin, and by the support of angels conveyed to him unharmed through the watery folds' (cf. Laud *a beata uirgine illud transmissum, a beata uirgine per equoreas sinus illese sibi delatum* 'that it had been sent by the holy virgin, conveyed to him from the holy virgin unharmed through the watery folds.') The compound Life in Lansdowne 436 drew on a manuscript closer to Laud than Trinity (Gregory personal communication). It is unknown at exactly what stage the redaction was made. Trinity is certainly a clean and luxurious copy, and it appears unlikely that the scribe was redacting a far longer text as he went along. The recension thus likely predates this early thirteenth century manuscript, meaning that it was probably produced at some point between *c.* 1140 and the start of the thirteenth century. Given the Herefordshire location of the manuscript and the Life's composition at Shrewsbury (addressed to a prior of Worcester), it is likely that the recension itself was also made somewhere in the Welsh marches. Yet exactly where and when the recension which survives in Trinity was produced remains a matter of uncertainty.

Vita Sancte Wenefrede

(Robert of Shrewsbury, Trinity O.4.42 version)

edited by David Callander

[Introduction](#)

[Translation](#)

[Manuscript](#)

[References](#)

Edited Text

Summary

Winefride is presented as a nun and martyr who lived in seventh-century north Wales. She was brought back to life by St Beuno after having been killed by Caradog for attempting to escape his advances. A spring arose where she first died and Winefride spent the rest of her life as a nun at Holywell and Gwytherin. There is little evidence for Winefride's veneration before the twelfth century. The text edited below is a redacted version of that written between 1138 and 1142 by Prior Robert of Shrewsbury. The text consists of the Life of Winefride (§§1–16, 18). The text is edited from Trinity) O.4.42 (Trin), with select variant readings from Laud Misc. 114 (Laud) and Lansdowne 436 (Lans), both of which are edited separately. For ease of comparison, the chapter divisions below follow those of the Laud manuscript, which agree to a very significant extent with those of the Trinity manuscript. This differs from the system of chapters used in the Bollandist edition, although they do note the Laud chapter division as well.

Text

Incipit vita sancte Wenefrede uirginis et martyris, decimo kalendas Iulii.

§1

In occidua Maioris Britannie regione est quedam prouincia Wallia uocitata, ex una parte finibus regni Anglie, ex altera oceano mari collimitata. Hec olim a sanctis multorum et diuersorum meritorum est inhabitata, et usque ad hunc diem innumeris eorum prerogatiuis multipliciter

VITAE SANCTORUM CAMBRIAE

decorata, ex quorum numero quidam sanctus Beunous nomine, uir summus et in omni illa sanctorum multitudine precipuus. Is itaque, cum paternum prius contempsisset solum, et, mundi gloriam calcans, pauper effugiens, monachus effectus est, in breui perfectum in Christo agens uirum. Denique cum in diuersis locis ecclesias fabricasset, fratresque in illis Deo seruituros constituisset, ipse diuino admonitus oraculo alias discessit, prouisam a Deo sibi quesiturus mansionem. Ducente uero illum spiritu sancto, gressumque eius ad multorum utilitatem dirigente, peruenit ad predium cuiusdam magni et potentissimi uiri nomine Teuith, qui filius unius summi et excellentissimi senatoris fuit. Nichil sue progeniei incongruum admittere dignabatur, sed nobilitatem generis honestis moribus exequens, in omni elegantia conspicuus apparebat.

Ad hunc ergo cum uir uenerabilis Beunous uenisset, honorifice ab eo susceptus est. Qui diu non differens que animo uoluebat eoluere, et aduentus sui causam manifestare, uiro secretius aduocato, 'Domine', inquit, 'ad te sum celesti subnixus instinctu destinatus. Cum enim diuersis in locis hactenus habitauerim, et mansiones proposito meo conuenientes et uoluntati mee concordēs sufficienter inuenerim, nusquam tamen requiescere potuit spiritus meus, admonente me latenter spiritu Dei alium inuisere locum. Proinde, relictis illis que michi plurimum complacebant habitaculis, ad te nunc ueni, ignorans ad quid presaga futurorum diuina disposito huc me direxerit. Non enim fortuitu aut sine certi causa misterii estimauerim accidisse, cum sine hesitatione crediderim cuncta solius Dei nutu agi, et hominis propositum Dei semper dispositione actitari. Quero itaque quatinus de possessione a progenitoribus tuis iure hereditario tibi deriuata partem Deo et michi concedas, ut ibi ecclesiam fabricem, in illa Deo seruiturus, et pro tua salute deinceps omni tempore Deum postulaturus.

Ille autem qui iam toto conceperat animo illius obtemperare uoluntati, quoniam eum uirum laude dignum et reuerencia habendum iudicabat, huiusmodi illi uerbis respondit. 'Iustum quidem est de hiis que a Deo collata sunt nobis illi partem tribuere, et pro suis beneficiis gratias ei pro modulo nostro rependere. Unde graciosum te michi efficis, qui hoc a me petis. Quod ego habeo ut darem plurimum gaudeo, et quod michi in bonum cedere non ignoro. Accedens igitur, quod postulas suscipito, hanc scilicet uillam liberam et quietam atque de omnibus que ad me siue ad successores meos pertinent solutam, ex hac deinceps die solius Dei seruicio mancipatam. Et quoniam unica est michi filia, in qua pene tocus gaudii mei summa atque spes posteritatis consistit, illam etiam tibi committens, deprecor quatinus pro ea rogans dominum interpelles, ut ad suam ipsius uoluntatem et meum honorem disponat illius conuersionem, atque prouehat de

illa gaudium meum.' Hec dicens, predium illud tradidit beato uiro, in quo ecclesiam fabricaret et habitacula seruis Dei inibi mansuris construeret. Ipse uero omnia sua ad alium transponens locum, ex aduerso suum fixit tabernaculum, unde sancti uiri habitaculum omni hora posset intueri.

§2

Cum uero construende basilice sanctus intenderet, ipse nonnumquam manus apponebat, semper quidem sufficienter sumptus administrans, et tam labore suo quam industria opus accelerans. Interdum etiam cum uir beatus diuina celebraret misteria, ipse presens aderat cum uxore sua et filia nomine Wenefreda. Quando autem uir sanctus populo mandata domini reuelabat, prefatam uirginem ad pedes uiri Dei ponebat, admonens omnia sollerter aduertere et patulo corde suscipere, que ab illo dicebantur. Quod futurorum prescius Deus incassum fieri non permittebat. Nam uirgo, futura Dei templum, ardenti desiderio percipiebat, que auribus hauriebat, et tenaci memoria recondebat, in proximo operibus exhibitura, quod tunc animo congerebat. Multociens quoque, petita a parentibus licencia, ad uirum Dei ueniebat, sitibundo ebibens pectore, que ab ipsius mellifluo proferebantur ore. Illa interius inspirante Dei gracia, cotidie crescebat in melius et proficiebat in sapientia, mente sua spiritu sancto ardentem debriata. A magistro suo fuerat edocta uerbis, domini fidem adhibere preceptis, patri et matri renunciare Christumque sequi, sed etas inbecillis et inmatura impedimento erat. Statuit firmiter in animo id quod docuerat faciendum. Ueniens igitur ad uirum Dei, rogans ut patrem et matrem conueniret ut dominum sequeretur, et audacter secreti sui eum conscium fecit. 'Semina', inquit, 'uerbi diuini a tuo michi profusa ore manifesta tibi fiere uolo. Omnem seculi luxum amodo abdicare delegi, et uirginitatem meam ad honorem sponsi celestis integram et incontaminatam conseruare disposui. Et hoc, pater sanctissime, tuo obtentu ab utroque parente impetrare michi depostulo.'¹

Hec audiens sanctus, pietate motus, gaudensque quod semen diuinum iam in illa pullularet, dixit se parentes eius sollicite conuenturum, et hoc pro posse suo quod petebat acturum. Quod facillimum factum et leue ad impetrandum erat, tum quia parentes eius patrocinio se funditus subdiderant, qui ad intercedendum introducebatur, tum quia diuini nectaris plenitudo illorum etiam animos imbuerat. Proinde, cum a uiro Dei parentes filie sue desiderium cognouissent, suffusis lacrimis Deum benedixerunt, et benigne concesserunt. Deposito igitur onere, quo non mediocriter grauabantur, rerum suarum opulenciam multifarie diuiserunt, pauperibus, uiduis, et orphanis subsidia administrantes, atque Dei seruo operosius intendentes. Et quoniam uidebant

¹ **depostulo** de added by corrector Trin; depostulo Laud.

VITAE SANCTORUM CAMBRIAE

filiam suam non nisi filio Dei nuptui dari uolentem, omnia que congregantes custodiebant illi tribuenda si homini terreno nuberet, in diuinis officiis expendebant.

Puella uero adepta obtabile desiderium suum, nimio afficiebatur gaudio, gestiensque in spiritu sancto, sitibundo hauriens pectore que de gloria sponsi sui ab ipsius defluebant ore. Uirgo itaque pro ipsius amore, cui se deuouerat, nichil in se terrenum admittebat, uni soli inherere, uni soli inhabitare, uidelicet in domo domini omnibus diebus uite sue. Sepe ad ecclesiam pergebat; frequenter in ea pernoctabat. Interdum se sancto ingerens, sollicitabat eum sermonem facere de sponsi sui moribus, tota quippe illius desiderio inardescens. Tunc aliquantulum gaudii herebat, cum de amici sui moribus et uita tractare, cum de eius excellencia, decore, et potencia loqui audiebat. Atque huiusmodi eius refectio omnem terrenarum rerum iocunditatem excellebat, et in illius corde spiritualis iocunditatis indeficiens delectamentum retinebat. Et licet etate tenera esset, perfecta tamen moribus et corde cana erat, animum tocus cupiditatis contemptorem habens. In exterioribus quoque non modicam diuinitus acceperat graciam. Erat autem uultu pulcherima et uerbo affabilis, atque toto corpore decenter composita. Unde callidi insidiatoris astucias non usquequaque effugere preualuit. Ex hoc enim materiam assumpsit.

§3

Postquam beatus Beunous ecclesie sue fabricam cooperante Deo consummasset et eam Deo consecrasset, finitimi ad eam ueniebant, sed et omni fere die uirginis parentes ad audienda que Dei erant ibi conueniebant. Contigit autem quadam dominica die pergentibus omnibus ad ecclesiam, et uirginis parentes, uirgo illorum filia aliquod forte incommodum perpessa, domi sola remanere choacta est. Et ecce quidam iuuenis Chradocus nomine filius Alani regis domum intrauit. Uirginem solam iuxta focum sedentem inuenit. Que cognito regis filio confestim surrexit. Quid sibi placuerit humiliter requisiiuit. Illo uero interrogante quo pater illius discessisset et dicente se plurimum illius colloquio indigere, puella respondit. 'Pater', inquit, 'meus ad ecclesiam iuit diuinis misteriis interesse. Si tibi neccesarius est, paululum te illum operiri oportet,' uolensque ab illo alicubi diuertere, hec dicens simplici animo, nichil quidem doli uel astucie suspicabatur. Re autem uera incentiua libidinis illum adduxerant. Ad quam explendam totus effrenis et preceps uoluitabat. Cum enim dixisset puella oportere illum patrem suum expectare, respondit iuuenis, 'Patienter', inquit, 'aduentum eius expectabo, si tu, interim in amiciciam meam ueniens, uoluntati mee assensum prebueris. Regis me filium esse non ignoras, diuitiis et honoribus multis refertum, te etiam affluenter locupletaturam, si mee petitioni assentire uolueris.'

Uirgo uero sentiens eum de concubitu sermonem inseruisse, paululum demissa uultu, ruboreque² suffusa, simulauit quidem primo grauitate se ferre, quod eam incomptam et inornatam inuenisset. Deinde dixit ei, 'Cum tu, regio ortus genere, post modicum Deo annuante rex sis futurus, felicitate seculari me opulenter replendam esse non dubito, tuo matrimonio copulatam. Uerumptamen paulisper patere, donec pater meus adueniat, et ego interim thalamum meum intrabo, cito ad te reditura.' Profecto hec dicens, solummodo ad horam auelli ab eo querebat. Uidebat miserimum hominem infelici libidine accensum illius amore letaliter torqueri, et uelut amentem fieri. Sciebat uero quod parentum absentia infestus hostis insanior redderetur, ideoque ab ipsius manibus abstrahi adpresens qualibet occasione cogitabat. Concessit tandem ut cameram suam ingrederetur, sperans illam cum decentiore ornatu ad se redituram. Tunc illa surgens thalamum est ingressa. Nichil differens ex altera parte per ostium camere egreditur, et uersus ecclesiam prepeti cursu iter arripuit. Ibi enim et si non timore Dei, multitudine tamen hominum protegi et defendi putabat.

Que fuga mox iuueni infausto innotuit. Qui statim furibundus effectus uehementique iracundia repletus, arepto gladio uelociter eam insequi cepit. Et quoniam aliquantulum spacii domum paternam ab ecclesia dirimebat, facili conamine assecutus est illam. Quam prius toruo uultu intuens, hiis uerbis eam affatus est. 'Olim te amaui, et meis amplexibus coniungere desiderauit. Nunc ad te uenientem refugis, et te petentem contempnis? Iam pro certo scias, quod aut michi in presentiarum ultronea commisseberis, aut, sine mora gladio isto capite absciso, uitam finies.' Uirgine itaque ad ecclesie limina se³ uertente, et sollicite inspiciente si aliquis inde exiret qui sibi adiutorium ferret, nemo prorsus egressus est. Tunc ad iuuenem uirgo conuersa, ait, 'Regis eterni,' inquit, 'sum filia, et omnium hominum iudicis filio in matrimonio copulata, nullum alium recipere possum, et ne te diutius protraham, nullum preter illum dum uixero admissura sum. Ideoque exime gladium, exere uires. Certusque esto quia nec terrores tui neque blandicie ab illius dilectionis dulcedine me poterunt diuellere.' Ille uero audiens se contempni, simulque credens illam muniri non posse, euaginato gladio caput Wenefrede uirginis amputauit. Statim uero ut caput uirginis ad terram corruit, in eodem loco fons lucidissimus vbertim⁴ erumpens emanauit, qui usque hodie fluere non desistit, multis infirmantibus beate uirginis meritis sanitatem prestans. Et quoniam iuxta ostium ecclesie uirginem apprehendens ei caput absciderat, statim caput in

² **uultu ruboreque** uultum ~~ruboreque~~ Trin; uultum ruboreque Laud.

³ **se** added by corrector Trin; — Laud.

⁴ **vbertim** added by corrector Trin; ubertim Laud.

VITAE SANCTORUM CAMBRIAE

ecclesia corruit, corpore retrorsum extra ecclesiam remanente. Ad pedem enim cliui cuiusdam,⁵ sub quo ecclesia sita erat, atque in dessensu illius montis caput uirginis resectum facile ruendo in ecclesia elapsum est. Truncum uero corpus quo prius extra ceciderat locum optinebat. Inter pedes uero stancium in ecclesia corruens caput, uniuersos admiratione permaxima commouit. Omnibusque nimio terrore percussis, atque dirum nefas grauiterque ulciscendum patratum fuisse dicentibus, auctoremque illius detestantibus, parentes puella tumultu aliorum commoti, accesserunt rem certius cognituri. Filiamque suam exanimem cernentes, hinc caput abscisum, illinc corpus truncum aspicientes, ad terram lacrimosi corruerunt, tristiciaque⁶ et anxietate soluti, flebilem uocem emittentes, clamosis planctibus dolorem suum prodiderunt.

§4

Cum igitur magnus in ecclesia tumultus oriretur, omnibus quidem uirginis interitum lamentantibus, multis tamen nimium miserantibus acerbitatem doloris que parentes illius inuaserat, uir igitur sanctus strepitum audiens, et seditionem suspicatus, ad cetum peruenit astancium. Cernensque uirginem, quam Deo consecraturus erat, tam crudeliter preemptam, miserabiliter condoluit. Peremptor uero uirginis adhuc iuxta corpus tumidus foris assistens, gladium suum cruore uirginis madidum cunctis aspicientibus per herbam detergebat. Nam quia filius regis erat, inpune tantum se perpetrasse flagitium putabat. Sed et in tanti admissione facinoris nichil se Deum uereri testatus est. Sanctus uero, grauiter ferens superbiam et obstinationem, accessit ad eum in manibus suis capud uirginis tenens. Et respiciens in faciem iuuenis, his uerbis illum affari cepit. ‘O sceleste’, inquit, ‘qui iuuenilis decoris indolem et regie dignitatis progeniem homicidali maculasti crimine, cur te tantum admisisse scelus non penitet? Pacem conturbasti, et ecclesiam tuo sacrilegio fedasti, Deumque nefarius irritasti. Nec doles? Nunc autem quia ecclesie non pepercisti, nec dominice diei reuerentiam exhibuisti, Deum meum deprecor, quatinus que tu indigne commisisti, in presenti digna recompensatione recipias.’ His dictis, iuuenis illico ad terram corruens expirauit. Mirumque dictu, in conspectu omnium astancium corpus defuncti liquefactum disparuit, multis aseuerantibus tellure dehiscente absorbtum fuisse, et cum spiritu suo in baratro demersum. Uniuersi uero hoc uidentes pro insueti nouitate prodigii ineffabili pauore percelluntur.

⁵ **cuiusdam** added by corrector Trin; cuiusdam Laud.

⁶ **tristiciaque** que added by corrector Trin; tristiciaque Laud.

Dehinc sanctus caput uirginis, quod inter manus assumpserat, sepius deosculans, turbatus est spiritu et flere compulsus. Postea uero ordine suo illud componens, adegit reliquo corpori, palliumque suum super illud sternens, in naribus illius insufflauit. Deinde parentibus nullam consolationem admittentibus sed continuis lamentis filie sue necem plangentibus, precepit luctum intermittere et a dolore cessare. Ipse autem ad altare missam celebraturus accessit. Qua peracta, omnibus ad eum intendentibus, et spem ad Deum erigentibus, ipse ad corpus exanimatum peruenit. Dehinc luculento ad populum sermone usus est, inter cetera dicens uirginem illam uotum Deo fecisse, sed morte interceptam non congruum tempus exsoluendi habuisse, et ideo debere eos deuotius humi procumbentes pro resurrectione illius Deum interpellare, scientes se multas imposterum per eam commoditates adepturos. Quod illi satis accurate fecerunt, et de immatura uirginis morte parentum dolorem meritis sancti mitigauere.

§5

Postquam igitur diu oratum est, uir sanctus a terra surgens, et manus ad celum tendens, ‘Domine’, inquit, ‘Iesu Christe, pro cuius amore hec uirgo terrena respuit et celestia concupiuit, nos te deuotis inuocantes animis misericors exaudi, et uiscera pietatis tue super nos effunde, uotorum nostrorum effectorem in presenti te esse concedens. Et quamquam uirginem hanc pro tuo amore passam non ignoremus in celestis gaudii sinibus repositam, nostro ulterius non indigere contubernio, tu tamen, clementissime pater, filiis tuis te humilem deprecantibus benignum te et exaudibilem prestans, precipe itaque⁷ ut, puelle huius anima corpori suo inducta, regimen te et dominationem tam animarum quam corporum habere demonstret, quatinus tue gracia misericordie rediuiua nomen tuum magnificet, et post longa uite spacia multiplicato bone conuersationis fenore, ad te redeat, sponsum suum unicum, uidelicet Dei patris filium, cum quo et spiritu sancto uiuis et regnas, Deus per infinita secula seculorum.’

Cumque omnes respondissent ‘Amen’, puella quasi a sompno surrexit, tergensque faciem suam atque emundans a puluere et sudore, astantes admiratione et gaudio repleuit. Porro ubi caput ipsius collotenus prius resectum et postea in diuina gracia compactum atque resolidatum fuerat, albedo quedam tenuissima in modum fili collum ambiebat, et locum sectionis obducebat. Quod deinceps ad demonstrandam capitis illius resectionem⁸ atque miraculi ostentionem, quamdiu uirgo in corpore deguit, semper uno modo permansit. Inde ferunt illius prouincie homines eam

⁷ **itaque** added by corrector Trin; itaque Laud.

⁸ **resectionem** re added by corrector Trin; resectionem Laud.

VITAE SANCTORUM CAMBRIAE

Wenefredam fuisse uocatam, cum antea, ut ipsi asseuerant, Brewa nominata sit. Quod enim ipsi in sua lingua Wen dicunt, latini candidum uocant. Sicque ex occasione albedinis collum circumdantis, ex re nomen habere dicta est, adiecta particula que est Wen.⁹ Fertur etiam quod, postquam de hoc mundo migravit, nulli penitus manifeste apparuerit, qui illo candido signo collum ipsius circumdatum non uiderit. Hoc quoque argumento titulum sue passionis admodum sibi placuisse designat, quem tociens patenter demonstrat quotiens alicui se uidendam ostendit.

Locus uero ubi sanguis illius effusus est, primitus Cicca¹⁰ Uallis dicebatur. Postquam autem caput eius abcisum terram tetigit, et, ut prefati sumus, fons ibi aque salientis emanauit, qui etiam manet usque in hodiernum diem, sanans omnes languores tam in hominibus quam in pecoribus, locus isdem de nomine puelle uocabulum sortitus est. Nam illorum lingua Fennaon¹¹ Wenefrede, nostra Fons Wenefrede nominatur. Fennaon¹² enim latino sermone fontem sonat. Et quoniam de corpore in descensu deuexi montis iacente uultus fuerat effusus sanguis, lapides aspergine ipsius infecti, tam in fontis scaturigine quam in riuo illius, seu in amborum margine, passim iacebant. Et quod dictu et auditu mirabile est, lapides illi conspersi sanguine adhuc pristinam retinent conspersionem, que patet usque in presentem diem scire uolentibus. Nam sunt quasi congelato cruore perfusi, nec situ temporis, nec assidua preterfluentis aque eluuione deterisi. Mussicula¹³ uero que eisdem lapidibus adheret,¹⁴ quasi thus redolet. Famosum¹⁵ satis atque omnibus patriam illam incolentibus notissimum est fontem illum adhuc pristino more durare, et lapides, ut prediximus, cruentatos in illo inueniri, merita uirginis ostendentes et spem omnibus portendentes, eandem uirginem se inuocantibus opitulari posse. Homines uero illius prouincie qui nondum Deum cognouerant, uidentes uirginis resuscitationem, et de fontis emanatione petrarumque conspersione tam apertum et euidens miraculum factum fuisse, ad pedes sancti Beunoi prouoluti, Dei misteriis se imbui petierunt. Quos ille benigna deuotione suscipiens, sacri baptismatis unda purificauit, et diuinorum preceptorum sermonibus instructos in Dei seruitio

⁹ **Wen** Wei (changed to Wey by much later hand) Trin; Wen Laud.

¹⁰ **cicca** changed to sicca with sicca Vallis added in the margin by a later medieval hand; sicca Laud.

¹¹ **Fennaon** o added by corrector Trin; Fennan Laud.

¹² **Fennaon** o added by corrector Trin; Fennan Laud.

¹³ **Mussicula** Mussicla with abbreviation mark deleted after the l Trin; Mussicula Laud.

¹⁴ **adheret** around two letters deleted before this Trin; adheret Laud.

¹⁵ **Famosum** The suspension mark to indicate the m is erased, perhaps by accident while erasing letters on the line above Trin; Famosum Laud.

confirmauit. Qualiter beata uirgo post resuscitationem suam uixerit, et quem uite modum habuerit, nunc succincte curabimus.

§6

Cum igitur, ut prelocuti sumus, beata uirgo a mortuis resurrexisset, tota die sancti uiri pedibus adherens, illius sermonibus sedula deuotione intendebat, de omnibus que ad Deum pertinent plenius instrui uolens. Quo facto, discipline dogmate sufficienter assecuto, illa magistri sui pedibus aduoluta, uelari se obnixè petiit. ‘Cum enim’, inquit, ‘a parentibus meis hoc michi concessum est, et meum noueris animum, omnem seculi luxum calcantem, solius Dei amori et cognitioni inhiare, nulla debet a modo esse dilatio ad consequenda desiderii mei sacramenta. Noli, ergo, pater sancte, meum diutius differre desiderium.’ Tunc uir beatus, uocatis parentibus eius, uirginis uotum eis manifestauit, et prerogam¹⁶ ei diuinam gratiam datam predixit, atque ipsius uoluntati se satisfacere uelle intimauit. Illis uero benigne consentientibus, filieque sue deuotionem iocundo affectu complectentibus, uir sanctus coram multis illam sacro uelamine indutam consecrauit, atque regularis propositi disciplinam sufficienter in eam confirmauit. Que statim post completum desiderii sui uotum, tocius uirtutis arcem agrediens, et regularis discipline studiis deuotissime inherens, in breui tocius ordinis peritiam, et obseruantie perfectionem adepta est. Dehinc cotidie magis ac magis proficiens, beatum uirum pro nimia sanctitate sua admodum letificabat.

Qui uocatis parentibus ipsius huiusmodi sermone usus est. ‘Uos me’, inquit, ‘prius hic suscepistis, et meis postulationibus uos paratos exhibuistis. Demum quoque locum istum Dei seruiicio instituendum consensistis, et uos illud idem efficaciter complere studuistis. Nunc uero quoniam diuina prouidentia inter¹⁷ nos exuberauerunt beneficia, lumen celeste uobis et filie uestre infusum diligenter attendite, gratiamque, qua respersi estis, sollicitè considerantes,¹⁸ preostensam uobis salutis uiam uigilanter incedere curate. Et quoniam mei presentia ad presens carituri estis, quia alias me uocat Deus, exemplis et admonitionibus¹⁹ filie uestre sollerter intendite, scientes illam non solum uobis, uerum etiam omni populo exemplum salutis futuram.’ Ad uirginem uero conuersus, ‘Te’, inquit, ‘laboribus meis succedere precipit Deus, uiamque uite a me tibi prelibatam incedere, aliisque incedendam ostendere. Te enim singularis meriti palmam coram se ferre delegit,

¹⁶ **prerogam** prerogatamm Trin; prerogam Laud.

¹⁷ **inter** ter added by corrector Trin; inter Laud.

¹⁸ **considerantes** considerates Trin; considerantes Laud, Lans.

¹⁹ **admonitionibus** d added by corrector Trin; admonitionibus Laud.

VITAE SANCTORUM CAMBRIAE

tuique martyrii exemplo atque bone uite conuersione, multos in hoc seculo ad suum amorem informandos instituit. Tuum igitur erit exhinc locum istum incolere, atque uirgines in Dei seruitio uicturas et hic tecum mansuras congregare. Unum pro certo scias, te in hoc loco finem uite non habituram. Cum enim in iugi corporis abstinentia et spiritus afflictione Deo seruiens, septem annos hic peregeris, alium te inuisere locum diuinitus admonitam oportebit, Deo te dirigente et per te multorum cordium tenebras illuminante. Hoc etiam retine, quod celebris erit in hoc mundo memoria tua, et quanti apud Deum fueris meriti, multi per te incommodorum suorum remedia adepti contestabuntur.’

§7

Cumque beata uirgo super discessu²⁰ doctoris sui plurimum contristata fleret, beatus Bevnous arrepta manu eius dextera, duxit illam ad fontem, quem de loco, ubi capud eius abscisum ceciderat, emanasse superius designauimus. Statuensque illam super lapidem unum, qui tunc ibi repertus est et usque hodie in riuo fontis manet et lapis sancti Beunoi ab incolis appellatur, hiis illam uerbis denuo allocutus est. ‘Uides’, inquit, ‘adhuc hic uestigia tue passionis? Ecce lapides isti tuo conspersi sanguine te pro Deo martyrium passam fuisse demonstrant, atque ad tui ipsius honorem²¹ perpetuum, aliorumque multorum monumentum, conspersionem, qua de tuo cruore madefacti sunt, quasi recentem seruant. Nunc igitur diligenti et tenaci memoria mea uerba reconde, ad multorum noticiam reuerenti relatione peruentura, atque per futuras temporum successiones nonnullis plurimum profutura.

Tria autem donatiua a Deo tibi erogata esse²² cognosce, que et laudis tue titulum sollempniter celebrabunt, et in posterorum mentibus deuotionis tue amorem digna ueneratione cumulabunt.

Primum Donatum.

Primum quidem est quod lapides isti, cruoris tui aspergine madidi, nulla poterunt per secula ablutione detergi, nec assidue istius aque impetu abluui, sed ad tue passionis ostentionem semper cruentati apparebunt, Deo ad sue gloriam maiestatis atque ad tue triumphum castitatis tale miraculum faciente.

²⁰ **discessu** changed from *dissessu* Trin; *discessu* Laud.

²¹ **honorem** *honoris* Trin; *honorem* Laud.

²² **esse** *cē* Trin; *esse* Laud.

Secundum uero est quod quicumque aliqua infortunia passus te requisierit, et per te a sua inualitudine seu oppressione se liberari petierit, prima siue secunda aut certe tertia uice uoluntatis sue compos effectus, quod postulauerat se impetrasse gaudebit. Si autem contigerit petentem te trine uicis petitione quod rogauerat non secutum fuisse, certissime sciat se presentis uite luce in proximo cariturum, atque ideo occulto iudicio Dei precis sue fructu in presenti frustratum fuisse. Proficere sibi tamen et²³ ad anime sue medelam te inuocasse constanter intelligat, atque per te aliquid sibi diuinitus maius prestari, quam si quod petebat exterius consequeretur.

Tercium donatiuum huiusmodi est. Cum ad presens a te discessero, super litus maris locum ad manendum conuenientem largiri michi dignabitur Deus. Et licet magno a te interuallo discretus fuero, tuis tamen muneribus me omni anno inuisendum precepit altissimus. Cum ergo quod michi dirigere uolueris in manibus paratum habueris, ad presentem fontem cum munere tuo festinabis, et quicquid illud fuerit, Deo prius illud commissum in fonte confidenter depones. Statimque uidebis depositum tuum a fonte per riuum deduci, et impetu decurrentis aque insubtus decurrentem magnum fluuium illesum traici. Moxque magno maris elemento Dei uoluntati obtemperante atque ministerium preparante ac prebente, quod tu in fonte deposueris²⁴ ad mei hospicioli ianuam deferetur, per sinuosa undarum uolumina, per tumescentes et undisonas²⁵ maris procellas, usque ad meum contubernium inuiolate delatum. Hoc quoque, omnibus annis dum michi uita comes fuerit, Deo precipiente contingere oportebit. Eruntque hec tria a Deo tibi concessa dona, prerogatiue diuinitus tibi collate designatiua, et dum mundus iste durauerit, ad tue celebritatem memorie et laudis gloriam, multorum narratione magnificata.' His dictis, ad ecclesiam eam reduxit, iterum huiusmodi uerbis illam alloquens. 'Ecce templum istud', inquit, 'et habitacula circumstantia, partim meo labore, partim²⁶ parentum tuorum sumptibus edificata, tibi relinquo, quatinus me hinc abeunte, tu, congregatis ad seruitium Christi tecum mansuris uirginibus plurimis, hic in tuo proposito Deo seruias. Bonam uite conuersionem et exempla uiuendi a me tibi insinuata nullatenus intermittas. Sciasque quod in loco isto ad multorum utilitatem magna fiet uirtutis diuine ostencio, atque per hic manentium exempla ad Dei cognitionem ascendent plurimi, omnia mundi emolumenta postposituri, ut Christum lucrifaciant. Sanitates quoque multiformes et animarum et corporum diuersa infirmitate

²³ et added by main hand Trin; — Laud.

²⁴ deposueris de added by corrector Trin; deposueris Laud.

²⁵ per tumescentes et undisonas per tumescentis et undis/onas Trin; per tumescentes et undisonas Laud.

²⁶ partim r added by corrector Trin; partim Laud.

VITAE SANCTORUM CAMBRIAE

languentibus hic passim distribuentur. Omnis etas uel sexus aliquid remedii se in hoc loco contigisse gaudebit. Tu uero sic te Deo placabilem exhibe, et talem te omnibus effice, quatinus in te nomen sanctum eius gloriosum existat, et te aspicientibus forma salutis efficiaris. Hinc autem nunc abeo, Deo alias famulaturus, tuique deuotionem dum uixero cum dulci memoria habiturus.’

§8

Hec dicens, assumpto solummodo baculo suo abire cepit. Omnem domus sue supellectilem et quicquid ibidem sibi manenti per fidelium manus Deus dederat, totum beate uirgini eiusque consortibus dereliquit. Sicque²⁷ Deo commendatis atque ualedicto uniuersis, discessit, uno solo clerico comite contentus. Illa uero super uerbis illius atque discessione impacienter se agens, miseram lacrimis et tristitia faciem gerebat, se inconsultam dicebat, pastoris presencia et diligencia desolatam.

Elapso autem aliquanto tempore, rediens ad se beata uirgo, et ad memoriam reducens conuersionis sue modum, passionisque titulum, atque beati doctoris sui Beunoi sermones seu uaticinia, uirilem constanciam agrediens, omnem merorem funditus deposuit. Statimque sponsum suum Christum, cui se caste uiuendo deuouerat, toto mentis affectu amplectens, illi inhiare, ipsum sapere, ad eum suspirare ardenti desiderio cepit. Deinde nobilium filias secum congregans, docebat eas castitatem amare atque, spretis omnibus mundi blandientis illecebris, leui iugo Christi colla submittere, et per²⁸ regularis propositi normam se Dei seruicio mancipare. Nonnullae autem uidentes conuersionis illius seueritatem, et modestam uite grauitatem, gracia sunt diuina compuncte, atque arripientes monastici ordinis regulam, sacro indumento se uelari petierunt. Quibus uirgo gloriosa Wenefreda boni pastoris officia exercens, sanctorum patrum sententiis munitas esse docebat. Assiduis autem admonitionibus²⁹ non desistebat illas instruere. Regule institutionibus sollerter intendere, propositique sui meminisse, atque in hiis officiosas existere admonebat. Ipsa uero sine intermissione eadem³⁰ faciebat, que subiectis suis facienda edocebat.³¹

²⁷ **Sicque** que added by corrector Trin; Sicque Laud.

²⁸ **per** – Trin; per Laud.

²⁹ **admonitionibus** d added by corrector Trin; admonitionibus Laud.

³⁰ **eadem** eadam Trin; eadem Laud, Lans.

³¹ **edocebat** e added by corrector Trin; edocebat Laud, Lans.

§9

Cum igitur in omnibus celestis uite studiis sedula insisteret, finitimi regionis illius circa illam deuoti existere admodum iocundabantur, dicentes nimia Dei clemencia perfusos esse quibus ipsa aut conuersione aut familiaritate propius adherebat. Et quoniam multe uirtutum exhibitiones in miraculis per eam fiebant, illud plane et ferocium hominum corda magis illius deuotioni subdebat, et fidelium mentes reuerenciam sibi exhibere compellebat. Beata uero Wenefreda cum huiusmodi bonis operibus perseueranter instaret, et per eam circumquaque celeste lumen radiaret, sepiissime uerborum et preceptorum magistri sui memoriam ad mentem reducens, in proximo instare perpendit diem discessionis illius, in qua scilicet ab ea discesserat, et munus sibi mitti preceperat. Quod illa sollicita sedulitate in memoria retinens, tam sui ipsius quam uirginum suarum labore casulam unam competenti textura composuit, uiro Dei transmittendam.³²

§10

Illucescente³³ itaque die quo exennium³⁴ illud mitti debebat, qui est kalendas Maii, uenit beata uirgo cum pluribus aliis ad fontem, in quo precepto uiri Dei munus suum depositura erat. Acceptamque casulam albo prius mantili inuoluit, sicque in medio fontis eam deposuit, dicens se fontis ministerio hanc beato uiro Beunoo dirigere. Et ecce mirabile dictu et nisi fideli homini minime credibile, panniculus ille, quo casula inuoluebatur, nullam lesionem ab aqua patiebatur, nec uel minimam aque infusionem sentiebat, sed omnino siccus cum casula permanens, impetu decurrentis aque per riuum est deductus, atque in magno flumine transuectus. Totaque illa die cum sequenti nocte illud uirginis munus per uarios fluctus marinos deductum, mane ad litus illud depulsum est, super quod uir sanctus habitacula sua composuerat. Cum autem beatus Beunous, mane ab ecclesia sua digressus, super horam maris staret, et qualiter prius exundate aque in se redirent quadamque ui occulta ad se fluctus suos attraherent quoddam nescio quid admirando intueretur. Accedensque propius, quid illud esset certius scire conatur. Admotaque manu ab arena illud eleuans, pannumque inuolutum euoluens, casulam inuenit, nichil omnino lesionis habentem. Pannus quoque, qui illam exterius obuoluerat, ita siccus apparebat, ac si aquam non attigisset. Cogitante autem illo sollertius, et causam huius inuentionis discernere conante, quod intra bibule arene aquosa spacia aliquid non madidum inueniri potuerit, latenter subiit inmentem

³² **transmittendam** second t added by corrector Trin; transmittendam Laud.

³³ **Illucescente** ce added by corrector Trin; Illucescente Laud.

³⁴ **exennium** first n added by corrector Trin; xenium Laud.

VITAE SANCTORUM CAMBRIAE

eius de dilecte uirginis Wenefrede memoria. Habitaque secum deliberatione qualiter ei preceperit omni anno munus sibi parare, paratumque in fonte suo, qui in riuum fluit, deponere, cognouit tandem, spiritu sancto sibi reuelante, a beata uirgine illud sibi transmissum, angelorumque ministerio per equoreos sinus illese sibi delatum. Deoque inde suppliciter gracias agens, munus illud benigne susceptum in ecclesia reposuit, tam sui ipsius quam aliorum seruorum Dei usibus deinceps exhibendum. Gaudebatque, quod uerborum suorum uirgo sancta memor exstiterat, et quod tam preclara fama illius fuerit, quod ab illa omnis prouincia illuminata erat. Orabat autem dominum incrementa uirtutum in ea augeri, et quicquid in oculis eius placitum erat in ea multipliciter inueniri.

Ex effectu uero satis patuit Deum preces ipsius suscepisse, auresque clementie sue exaudibiles illi exhibuisse. Etenim intantum celestis exercitii studium in uirgine profecerat, ut in illa tocius perfectionis forma inueniretur, et ipsa quasi singulare iubar tocius prouincie, forma uiuendi et exemplis beneagendi, tam absentibus quam presentibus uirgo Wenefreda semper appareret.³⁵ Efficatiam quoque mirabilem atque diuinam habebat ad persuadendum quod uolebat. Nam quotiens sermonem domini proferebat, tanta inerat ei in sermone facultas et in sententiis modesta grauitas, ut omnes ipsius loquela liniret, ipsa uero ad omnia que beatus Beunous ei preceperat prompta et obediens nichil omnino intermittens de omnibus sibi imperatis.

§11

Singulis uero annis in die kalendarum Maii munus trans mittebat doctori suo dum uiuebat, modo quo superius designauimus. Et licet magnum spacium illos abinuicem dirimebat, quinquaginta enim miliaria aut eo amplius inter illos distanciam faciebant, unius tamen noctis spacio per sinuosa maris uolumina³⁶ deportatum ad ianuam monasterii sui mane in arena litoris inueniebatur. Ex hoc autem beato uiro cognomen additum est, quod apud Wallie homines usque in hodiernum diem memoriale habetur. Nam Beunous Casulsech, id est, Beunous Casula Sicca uocatur, eo quod per aquas ab aquis illesa ad eum sicca casula deferetur. Accidit autem dum uirgo hunc modum mittendi singulis annis obseruaret, ut beatus Beunous, longo confectus senio, uirtutibus plenus et operibus preclarus, relinquens seculum ad celeste migravit gaudium.

Cuius discessus cum sancte uirgini innotuit, multis illum lacrimis et orationibus prosecuta est, atque prefatum munus ulterius trans mittere destitit. Tunc autem primo omni humana

³⁵ **appareret** second re added by corrector Trin; appareret Laud.

³⁶ **uolumina** molumina Trin; uolumina Laud.

consolatione se destitutam dicebat. Tedere igitur cepit locum in quo morabatur. Paululumque procedente tempore cum pars maxima consortum suarum uirginum de hoc seculo migrasset, odio habere cepit locum illum, in quo eatenus conuersata erat. Memorque uerborum doctoris sui, quibus illam post septem annos ait alium debere inuisere locum, et quoniam alias facies eius intendens erat, requiem non habebat spiritus eius, dum ibi degebat. Cum autem omnes euoluti anni essent et illa sui ipsius compos effecta fuisset, toto conamine ad Deum mentem erigens, deprecabatur ut eam ad talem locum destinaret, ubi et sibi placere et aliis proficere posset, locumque illum, in quo prius conuersionem suam habuerat, sua benedictione perfundere dignaretur, ut qui illuc orationis gracia aut alicuius remedii consequendi causa adueniret, inuocato nomine ipsius qui ibidem actus suos et mores pro illius amore correxerit, quod postularet consequeretur. Quod postea manifeste demonstrabitur.

§12

Cum igitur beata uirgo Wenefreda sollicite instaret orationi, Dei clementiam sibi affuturam et reducem itineris sui eam fore depostulans, nocte quadam uigiliis et obsecrationibus intendenti, diuinum ei huiusmodi oraculum insonuit. ‘Assumpta tecum una tantummodo uirgine comite, uade ad beatam Deiferum, qui moratur in loco qui Botauarrus uocatur. Illoque consulto, quid deinde factura eris cognosces.’ Erat quippe uir ille magnus coram domino, in omnibus mandatis et iustificationibus sine querela incedens. De quo refertur quod cum uirtutum gracia copiosius exuberaret, fontem de terra erumpere fecerit, eoque extensa manu³⁷ benedicto, Deum exorasse quatinus quicumque eger in illo se merserit, sanitate potitus ad sua reuertatur.

§13

Igitur sanctissima uirgo committens Deo locum suum et omnes cum quibus habitauerat, una sola uirgine comite contenta, peregrinationem suam aggressa est. Ueniensque ad sanctum Deiferum, quem octo fere miliarium a loco de quo ipsa egressa est distabat, benigno fauore ab illo suscepta est. Cumque prius orationi diutius incubuissent, consederunt pariter, uirgine causam aduentus sui illi penitus exponente. Cui uir sanctus in hunc modum respondit. ‘Ego’, inquit, ‘huius diuini consilii adhuc ignarus prorsus existo, sed parumper patere, hic nobiscum hac nocte degens. Forsitan dignabitur aliquid dominus reuelare nobis.’ Sancto igitur tota illa nocte, sicut solitus erat, orationem facienti, uox de celis insonuit, dicens, ‘Dic karissime filie mee uirgini Wenefrede

³⁷ manu added by corrector Trin; manu Laud.

VITAE SANCTORUM CAMBRIAE

